

terminus actionis proprie et directe, sed intentionalis et transiens.

CDLIII. At vero causa superior respectu inferioris, etiam principalis, non solum habet pro directo effectum producere id, quod causa inferior efficit, sed etiam actuare et perficere causam sibi subjectam et inferiorem, ejusque virtutem ultimo actuare; unde indiget distincto concursu a simultaneo, ut perficiatur talis causa in quantum causa; unde causa superior respicit inferiorem, ut virtus actualior virtutem minus actualem, et in actum reducendam; et ideo oportet concursu suo intendere talem actualitatem: at vero causa principalis non respicit instrumentalem sicut habentem virtutem inferiorem actuandam a se, sed sicut nullam virtutem habentem, et quæ trahi debet ad communicationem virtutis principalis modo intentionali et transeunte; unde non oportet concursu distincto perficere et elevare instrumentum, et alio tendere ad effectum; sed simpliciter tendere ad effectum, subordinando sibi modo intentionali instrumentum, et non per modum virtutis et formæ.

CDLIV. Ad id quod adducitur ex D. Thoma respondetur, quod virtus quæ acquiritur instrumento, hoc ipso quod movetur, non est virtus per modum qualitatis et formæ, sed per modum transeuntis et motionis, ut dixerat in corpore articuli. Ad illud de specie coloris in aere, dicitur exemplum tenere in duobus: primum, quod sicut species in aere pendet a præsentia lucis et colorati, ita virtus instrumentalis a principali: secundum, quod sicut species coloris non facit coloratum aerem, sic nec communicatio virtutis in instrumento facit ipsum causam principalem.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

*Pro secundo modo dicendi, quæ probant potentiam obedientialem activam, contra secundam conclusionem.*

CDLV. Primo arguitur: Non est impossibile in rebus creatis potentia obedientialis activa: sed illa non est ordinis naturalis, et ad effectus naturales, sed supernaturales: ergo ut instrumentum active constituatur in ordine ad effectum supernaturalem, talis potentia obedientialis concurret, et sufficit. Minor certa est, quia ad effectus naturales dantur potentiæ ordinis naturalis, quæ non sunt obedientiales, sed naturales: ergo obedientialis potentia debet esse ad aliquid, quod excedat naturalem ordinem. Major ostenditur primo, quia datur potentia obedientialis passiva, ut omnes fatentur, ut faciat Deus de creatura, et in creatura, quod voluerit: ergo et dabitur activa, ut faciat per creaturam, quod voluerit. Omni enim potentiæ passivæ aliqua activa in eodem ordine respondet.

CDLVI. Secundo, quia potentiæ vitales habent potentiam obedientialem ad actus supernaturales, si quidem naturalis ad eos non sufficit, et hæc potentia obedientialis non est passiva; ergo activa. Minor patet, quia potentiæ vitales respectu actuum vitalium non se habent passive, quia in actibus vitæ debent se movere: ergo potentia, quam habent ad actus supernaturales vitaliter eliciendos, non est passiva. Et idem argumentum fit de potentia obedientiali, qua duo corpora possunt esse in eodem loco, vel unum corpus in duobus locis, et eadem anima informare duas materias, et idem accidens plura sub-

jecta. Tertio, quia quælibet res creata est participatio summi et primi entis, et ex hoc habet ei obedire; sed summum ens habet virtutem activam ad opera supernaturalia: ergo participative potest esse talis virtus in creaturis, quæ participant a Deo.

CDLVII. Confirmatur, quia instrumentum non subordinatur causæ principali, ejusque motioni et elevationi, nisi prout agens, et non prout patiens: ergo ante elevationem supponitur activitas in instrumento ad agendum effectum, et non solum passiva non repugnantia. Antecedens probatur, nam instrumentum ex subordinatione quam habet ad causam principalem, non se habet ut omnino nihil agens; alias effectus soli causæ principali attribueretur, et ab ea exiret, non ab instrumento: ergo si ex tali subordinatione se habet instrumentum ut agens, non subordinatur illi ut pure patiens, sed ut active productivum, et ex elevatione causæ principalis ultra propriam virtutem producens. Item, quia subordinatur causæ principali ad operandum, et non ad essendum, seu recipiendum: ergo subordinatur illi ut operativum, et non ut pure receptivum; et consequenter ut agens subordinatur ei, et non ut patiens; et sic supponitur in eo virtus activa ad effectum ante elevationem.

CDLVIII. Respondetur ad principale argumentum, negando majorem; et implicatio ea est, quia omnia potentia activa debet dicere intrinsecum et positivum ordinem ad suum actum, seu effectum; activa enim potentia debet esse id, a quo positive potest exire effectus: ergo debet respicere effectum ut positive potens super illum; si autem non est id, a quo positive potest exire effectus, nondum ergo habet activitatem ad talem effectum, sed so-

lum non repugnantiam, et sic non est potentia activa. Habere autem positivum ordinem ad effectum supernaturalem, nulla naturalis entitas potest, cum sit ordinis omnino inferioris, et qui nihil omnino dictat de ordine supernaturali; ideo repugnat quod naturalis entitas habeat potentiam obedientialem activam respectu supernaturalis effectus.

CDLIX. Ad primam probationem dicitur, quod potentia passiva sufficienter salvatur in non repugnantia, qua agenti subdi potest, ut in illa, et ex illa operetur; ad activam autem non sufficit non repugnantia, sed requiritur ordo positivus ad actum, quia actus respicit potentiam activam, ut principium a quo exit positive, ut ab efficiente; potentiam autem passivam respicit ut recipientem. Ad hoc autem ut exeat positive actus ab aliquo, requiritur in illo positivus ordo ad talem actum; ut autem recipiatur in aliquo, sufficit quod in illo non sit resistentia, aut repugnantia et impossibilitas, et in agente sit vis ad introducendum talem actum in subjecto. Unde materia non respicit formam introducendam nisi mediante agente, et prius respicit agens, quam actum, quantum ad introductionem formæ; et ideo si supponitur in agente virtus infinita, subjectum seu materia secundum quod subditur tali virtuti, respicit etiam actus sibi superiores, ut recipiat; potentia autem activa, eo ipso quod activa est, secundum se respicit actum a se procedentem, seu potentem procedere in eo genere, quo potentia activa est; et hoc repugnat entitati naturali respectu actuum supernaturalium.

CDLX. Ad secundam probationem respondetur, distinguendo minorem; potentia obedientialis potentialium vitalium non est passiva

formaliter, nego; radicaliter concedo; et ita radicaliter est activa, non formaliter; radicalis enim activitas non est positivus ordo ad actum et effectum, neque radix unde dimanat positivus ordo et formalis activitas; sed dicitur radicalis activitas, quia id quod materialiter præsupponitur ad elevationem debet esse activum, et in ratione activi elevabile; unde debet habere capacitatem per aliquam activitatem, quam capacitatem aliæ res non habent, quæ similiter activæ non sunt. Non enim lapis aut oculus elevabilis est ut videat aut amet Deum, sicut est elevabilis intellectus et voluntas; quæ diversa capacitas non consistit in aliqua activitate formali, dicenti ordinem et virtutem ad effectum supernaturalem positive, cum tota virtus et activitas proveniat a principio supernaturali; sed consistit in eo quod sit talis entitas et potentia, quæ possit induere pro virtute et ratione formali operandi, virtutem supernaturalem; non potest autem virtus supernaturalis fieri virtus et ratio operandi nisi illi quæ est potentia operativa, et taliter operativa, ut sicut habet virtutem naturalem respectu sui objecti naturalis, ita supernaturalem possit induere respectu ejus, quod supra naturam sui objecti est.

CDLXI. Hæc ergo dicitur esse activa potentia radicalis, quæ videlicet taliter est operativa, quod radicem habeat ut induat virtutem illam operandi supra naturam suam. Omnis enim potentia ordinem habet ad objectum mediante virtute sua; et ratione virtutis habet formalem et positivum ordinem ad objectum et effectum; et ita virtus ut dicitur in primo de cælo est ultimum potentiæ, quia scilicet est ejus activitas formalis, et ratione ejus potentia habet formali activitate

tendere ad objecta. Hoc ergo quod est ultimum potentiæ ad agendum naturaliter respectu naturalium operationum, non servit, neque dicitur potentia ratione illius esse in potentia activa obedientiali respectu actuum supernaturalium; sed quia potentia ipsa, ut distinguitur ab ultimo potentiæ, quod est virtus, est veluti radix ipsius virtutis, et comparatur potentia ad virtutem, ut radicalis activitas ad formalem; ideo respectu virtutis sibi supernaturaliter superveniens est in potentia passiva formaliter, et radicaliter in activa, id est, supponit rationem potentiæ, quæ est veluti radix actualitatis formalis, seu virtutis; est tamen potentia passiva, ut suscipiat activitatem formalem, seu virtutem ultra naturam suam: in præsentem autem non de activitate radicali, sed de formali inquirimus; de illa videlicet in qua constituitur in actu primo.

CDLXII. Et ita hoc sensu intelligi potest illud Augustini: « Posse habere fidem, naturæ est hominum, excolere autem, gratiæ est fidelium, » quia videlicet ipsa potentia naturalis, quæ est radicalis activitas respectu virtutis suæ, quæ est ultimum potentiæ, talis, inquam, potentia est in potentia passiva respectu virtutis alterius ordinis, et ideo secundum se nullo modo habet activam potentiam formaliter inclinantem ad actum supernaturalem, quia virtus ejus, quæ est activa potentia formalis, est solum ad naturales effectus, habet tamen potentiam ipsam, quæ acceptura est virtutem, et rationem formalem agendi ultra se, et ad hanc virtutem seu formalem rationem habendam, est in potentia passiva, et ideo omnis potentia obedientialis passiva est, et non activa (loquendo de activo formaliter) quia tamen requiritur quod id quod activitatem hanc formalem, quæ est

virtus et ultimum potentiæ in alio ordine, accepturum est, sit potentia radicalem ordinem dicens ad virtutem; ideo ubi non est potentia, neque virtus supernaturalis potest supervenire, et ideo non omnia sunt in potentia obedientiali ad eliciendos actus supernaturales, sed solum illa, quæ potentiam habent virtutis talis susceptivam et capacem. Ad rationem autem instrumenti non requiritur potentia, quia non debet suscipere formam et virtutem agendi, sed ex motione debet agere; unde sufficit potentia obedientialis pure passiva, et nullo modo activa, nec radicaliter.

CDLXIII. Ex quo fit, quod potentiæ vitales debeant se movere vitaliter, et a principio intrinseco, non tamen per virtutem intrinsecam, et formalem activitatem intrinsecam, sed per supernaturalem virtutem, quæ ipsam vitalem potentiam in ratione vitæ supernaturalizat et elevat, ipsumque principium intrinsecum et vitalitatem priorem trahit, dando illi virtutem alterius ordinis; ut sicut per propriam virtutem principium illud vitale operabatur vitaliter juxta suam naturam, sic per virtutem superioris ordinis sibi communicatam operetur vitaliter supra suam naturam, per principium tamen intrinsecum supra naturam elevatum; ita quod imaginandum est, quod ipsum principium vitæ supernaturalizatur in ordine ad illas actiones; non tamen ex una parte manet principium vitale, et ex alia principium supernaturale, sed quod ipsum principium vitalitatis supernaturalizatur, et elevatur, sicut per virtutem suam ad agendum supra se, et ad talem supernaturalizationem et elevationem ipsa vitalis potentia est in potentia passiva, quamvis ipsa radix activitatis sit.

CDLXIV. Minus vero difficultatis habet, quod dicitur de corpore, ut sit in duobus locis, aut duo corpora in uno loco, etc. hæc enim non fiunt per productionem alicujus actus, qui procedat ab ipsis corporibus aut formis, sed per applicationem extrinsecam agentis infiniti, qui tales res applicat, et conjungit inter se; unde non debent tales res facere per activitatem aliquam, sicut neque per aliquam actionem.

CDLXV. Ad tertiam probationem respondetur, quod licet sint omnes creaturæ participationes summi entis, non tamen participant illud univoce, sed analogice, et secundum ordinem inferiorem: unde non debent participare de virtute ejus activa, quæ excedit omnem creationem, sed solum habere non repugnantiam ut fiat de creatura, quod ipse voluerit.

CDLXVI. Ad confirmationem respondetur, quod instrumenta subordinantur causæ principali ut agentia, non tamen per activitatem antecedentem ad talem subordinationem, sed per activitatem communicatam per talem subordinationem, et a tali causa principali; et ideo non subordinantur, quia jam sunt agentia, sed ut sint agentia, sicque principaliter respiciant agens, cui subordinantur, quam actum. Et ad probationem antecedentis respondetur, quod instrumentum non se habet ut patiens, quod jam est constitutum in actu primo; antequam vero in actu primo constituatur, pure passive se habet, quia neque activitatem formalem, neque radicalem habere debet, quia non est in actu primo nisi per participationem causæ superioris principalis: et ideo non supponitur agens, et per causam principalem extenditur talis ratio agendi, ut existimavit Suarez, sed in ordine ad effectum principalem ita se habet, ac si nullo modo

esset agens, quia nullum positivum ordinem secundum se ad illum dicit. Quapropter solum debet subordinari instrumentum, ut agens ex participatione causæ principalis, non autem ut ex se habens quod sit agens. Quantumcumque enim supponatur activitas in instrumento, tamen ad effectum principalem non est in actu, nisi per eandem virtutem, per quam agens principale, communicando in ea intentionaliter. Et sic antequam in ea communicet, solum passive se habet, quia solum respicit agens principale a quo participat virtutem, non autem actum; tunc autem incipit esse in actu primo, quia incipit respicere effectum, seu actum producendum.

CDLXVII. Ad id quod dicitur, quod subordinatur causæ principali ad operandum, et non ad essendum, vel recipiendum, concedo subordinationem illam esse ad operandum, non tamen quia antecedenter sit jam operativum, et habeat virtutem activam ad operandum supra se, sed quia capax est ad suscipiendum id quo operetur; et suscipiendo hoc a causa principali, operatur. Itaque ex fine ad quem ordinatur illa subordinatio, distinguitur, eo quod se habet ad recipiendum, vel operandum; utrobique enim causa subordinata suscipit a superiori subordinante; sed aliquando id quod suscipit, est solum forma inhærens et informans; aliquando est ratio operans sive ut forma, sive ut motio, et tunc ad operandum subordinatur, non tamen active se habendo ante talem subordinationem, sed passive.

CDLXVIII. Secundo arguitur: Potentia obedientialis passiva non est solum non repugnantia, sed realis potentia passiva ad actum, vel formam supernaturalem: ergo non repugnat dari etiam potentiam activam obedientialem. Consequentia

patet, quia tota ratio quare negatur potentia obedientialis activa, est quia obedientialis potentia nihil reale ac positivum dicit in ordine ad formam et actum supernaturalem: ergo si hoc non obstat, nihil obstat. Antecedens probatur, nam potentia passiva intrinsece includit positivam entitatem cum positiva et reali capacitate alicujus actus, ut patet in anima rationali respectu gratiæ; sicut enim illam positive et realiter recipit, sic præintelligitur in illa realis capacitas, et potentia ejus. Item, quia anima ratione potentiæ obedientialis habet causalitatem physicam in genere causæ materialis respectu gratiæ; quia ratione hujus realiter educitur gratia de potentia obedientiali animæ, pendetque reali dependentia ab ea in fieri et conservari, et fit realis compositio ex gratia et ex anima, ut ex subjecto et accidente, ex potentia et actu: ergo illa potentia obedientialis non est solum non repugnantia, sed etiam positiva, ac realis potentia.

CDLXIX. Confirmatur, quia potentia obedientialis nihil aliud est quam ipsa entitas creaturæ, secundum quod ex eo quod creatura est, subest perfectissimo dominio creatoris, ut utatur ea secundum omnem modum non implicantem contradictionem, quo ipse voluerit; sed non implicat contradictionem Deum uti creatura non solum passive, sed etiam active: ergo non solum passiva potentia obedientialis, sed etiam activa ponenda est. Minor probatur, nam si implicaret contradictionem, vel esset ex parte Dei, vel ex parte creaturæ: sed, id est, possibile, et non implicatorium; neque potest ex parte Dei deficere et implicare, neque ex parte creaturæ, quia non apparet in quo consistat hæc repugnantia ex parte creaturæ, ut non possit Deus uti ea, etiam quoad hunc

usum, cum sit omnibus modis subiecta Deo.

CDLXX. Et confirmatur secundo, quia per hanc potentiam obedientialem, quam instrumentum subordinatur Deo, non utitur Deus instrumento, ut recipiat in se aliquid, sed ut agat, seu emittat ex se effectum; qui cum sit superioris ordinis, non potest ab ipso exire: ergo subordinatur Deo, non ut causa materialis et subjectum receptivum, sed ut agens imperfectum et inchoatum, quod debet perfici per superius agens: ergo datur virtus activa obedientialis, si quidem non subordinatur Deo nisi ut causa activa alteri causæ activæ: et sicut in instrumentis artium instrumentum non subordinatur artifici ut causa materialis, sed ut causa effectiva, instrumentalis tamen et inferior, sic instrumentum Dei (supernaturalis agentis) non subordinatur Deo ut causa materialis, sed ut effectiva, instrumentalis tamen: ergo secundum virtutem activam obedientialiter subordinatur Deo, et non secundum virtutem passivam.

CDLXXI. Confirmatur tertio, quia non minus pertinet ad omnipotentiam Dei, quod creaturæ illi obediant in agendo, quam in recipiendo; sed non possunt ei obedire in recipiendo, nisi supponatur potentia passiva antecedenter ad imperium et motionem Dei: ergo neque poterunt ei obedire in agendo, nisi supponatur potentia activa antecedenter ad motionem Dei. Nec enim per illum motum recipiunt potentiam ad obediendum in agendo: ergo antecedenter ad motionem Dei distinguendæ sunt potentiæ obedientiales ad agendum, et ad recipiendum; et sic alia est potentia obedientialis ad agere, alia ad pati; et illa dicitur potentia obedientialis activa, hæc passiva; et in hac potentia activa constituit Suarez actum pri-

mum instrumenti, supponendo subordinationem ejus ad causam principalem quoad applicationem ad agendum, non solum secundum propriam activitatem, sed et ultra illam; extendendo videlicet activitatem, quam inchoative habet.

CDLXXII. Respondetur ad principale argumentum dupliciter. Primo, ad consequentiam: secundo, ad antecedens. Ad consequentiam respondetur, negando illam, etiam dato antecedente. Et ad probationem dicitur, quod repugnantia ad potentiam obedientialem activam non est, quia in se sit aliquid reale et positivum; sed quia respectu effectus excedentis naturalem virtutem, non potest positivum et realem ordinem habere, nisi habeat realem ac positivam virtutem respectu talis actus, a qua ipse possit exire. Per potentiam autem obedientialem respiciunt creaturæ, non effectum aut formam, sed agens infinitum primo et immediate, quia respiciunt id cui obedire debent, non id quod efficere, aut recipere debent. Et dico quod respiciunt id, cui obedire debent, non sentiendo, aut cognoscendo ejus imperium, sed subjiciendo se ejus motioni.

CDLXXIII. Quod autem prius respiciat potentia obedientialis id, cui obedire debet, quam effectum vel formam, ad quam ordinatur, ex eo manifestum est, quia potentia obedientialis non se debet determinare ad hunc vel illum effectum ex aliqua determinatione suæ entitatis aut formæ, sed ex determinatione creatoris cui obedit creatura, ex eo quod creatura est: ergo prius habet potentia obedientialis respicere creatorem, quam effectum a se producendum, vel formam suscipiendam; præsertim quia potentia non dicitur obedientialis respectu effectus vel formæ, sed respectu ejus cui subditur, et cui obedit, et ex obedientia ad